

2655

C O D I C E S

2656

ad Dom. 25. post Pentecosten. Sermo I. incipit: *Cum appropinquaret ihesus Ierosolimam &c. M'. XXI. Tempus quod bodie incipit et durat usque ad natiuitatem domini &c. De Evangelio Dom. 25. post Pent. in fine breuiter notatur, legi illud bis in anno, hac scilicet Dom. et Dom. 4. Quadrag. Id, quod etiam in Missalibus ante Tridentinam restitutionem impressis observes. Repetitionis rationem reddit Noster, quia in eo Evang. et dicitur: *Erat autem proximum Pascha, et: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Autor ergo Antonius O. P. Vide Cod. DCXCIV.**

II. fol. 98. Absque titulo Opusculum *Asceticum* in illud: *Misit rex Saul apparitores, ut caperent David. I. Reg. 19. Saul diabolus est, David peccator, Apparitorum officio funguntur septem Peccata vulgo capitalia. Ad ludum equestrem induci te putes, ita Ἀγωνοεχης noster arenam ornat. En Superbiam, que sedet super dromedarium armata armis aureis ducens super galeam pauonem in clipeo aquilam in tunica leonem in manu gladium latum. Et ita Apparitores ceteri. Sed Deus totidem iis Virtutes objicit. Dabo Castitatem, que procedit contra luxuriam et sedet in unicorni et habet in galea fertum ex lilijs candidis croceis viridis et ducit in clipeo annulum depictum in tunica lupum &c. Apparitor tertius e Cod. deperiit.*

III. fol. 106. Legenda brevis de S. *Udalrico* Episcopo *Augustano*. Incipit: *Legitur in legenda beati Udal. quod fuit ortus de stir-*

*pe comitum Dilingensium nomen patris Hubald matris vero Diperga ablatatus etiam fuit cum esset ebdomadatum XII. &c. Videtur excerpta ex prolixiore illa, quam sistunt Hagiographi Antwerp. ad diem 4. Jul. p. 97. post Surium et Mabillon. sed ultima duo Miracula addita sunt ex aliis Mss. quae pariter Viris illis ignota non fuere. Ad calcem: *Finis adest vere. pretium vult Scriptor habere.* Praetexta est Codici Membrana, in qua legitur *Diploma Urbani*, putem VI. quo iungitur Archiepiscopo *Salzeburgen*. ut *Johanni* — — ejus Dioeces. Presbytero provideatur de beneficio proxime vacaturo, cujus Patroni essent Abbas et Conuentus *Admontensis* O. S. B. in *Stiria*. Datum est *Janue* — — —.*

DCXCVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 264 XV. Folior. nunc 317. f. curren- te calamo per duas columnas scriptus et Sec. XVI. ad *Wenceslaum Rossam* s. *Rossonem* Sacerdotem *Bobemicum* pertinens completitur: I. *Themata Sermonum sacrorum a Festo Ascensionis usque ad Dom. XXIII. post Pentecosten*. Initium: *Recumbentibus undecim discipulis M' ultimo. Legitur quod Aquila habet quatuor virtutes &c.*

II. fol. 26. sequitur *Libellus de Sex Gradibus penitentiae*, qui sunt *Contritio, Confessio, Jejunium, Oratio, Eleemosyna et Satisfactio*. Incipit: *Fecit Salomon thronum de ebore grandem qui habuit sex*

2657

H O M I L E T I C I .

2658

seu babebat sex gradus &c. Non defunt per decursum piae fabellae. Finit: *et earum suggestionibus amplius aditum non prebere.* Sequitur Registrum. Autorem non reperi.

III. fol. 38. Incipit expositio misse Innocencij pape. Eo sensu Innocentii III. quod ex ejus Opere de Missae Mysterijs Codd. variis hic indicato extracta fit. Initium est: *In sacramento altaris sunt septem utiliter attendenda &c.* Finis: *sacerdos facit in nomine indiuidue trinitatis.*

IV. fol. 50. Incipit tractatus de Missa reuerendi Magistri Henrici de Hassia doctoris eximij. Initium: *Quam breuis fuerit Missa et in verbis et in ceremonijs &c.* Finis: *tuam majestatem publice extollentes Gracias agimus.* Codices plures ms. indicat Pezius Diss. isag. in T. I. Tbes. Anecd. p. 77. Praeterea sub ipsa Typographiae initia editus est caractere rudi in 4. et deinceps saepius.

V. fol. 61. De Decem preceptis. Habentur Expositiones Decalogi Henrici de Hassia et Nicolai de Dünkelspühl, sed non congruunt cum praesenti, quam tamen Viennae concinnatam fuisse ex hoc loco fol. 100. arguo: *Posito quod princeps non sit Wienne et quis credens eum esse Wienne et volens a se querentem decipere, dicat sibi, dux non est Wienne, ille mentitur &c.* Initium est: *Ego sum dominus deus tuus qui eduxi &c.* Et sic erit preceptum primum una copulativa &c. Finis: *et digna premio glorie sempiternae. Ad quam nos perducere &c.*

VI. fol. 109. Sermo de Poenitentia sine nomine Autoris. Thema et initium: *Ecce nunc tempus acceptabile.* Ad Cor. 2. c. 6. *Duo sunt tempora hominis unum iusticie &c.* Finis: *a quo nos custodiat qui sine fine vivit et regnat.*

VII. fol. 111. p. 2. absque inscriptione M. Nicolai de Dünkelspühl Tractatus de tribus Partibus Poenitentiae hoc initio: *Tres sunt partes penitencie ut dicit Magister &c.* Jam indicatus alibi.

VIII. fol. 149. p. 2. Sermo de corpore christi in illud: *Probet autem se ipsum homo &c.* Initium: *Probet id est secundum gloriam examinet et purget se ipsum &c.* Autor non adscribitur; Sermo vero habetur Cod. DCCLXII. cum IV. aliis Nicolai supradicti.

IX. fol. 155. p. 2. Exhortatio beati Jeronimi de timore dei. Initium: *Hortor vos karissimi mei et dilectissimi filii &c.* Fragmentum est ex suppositio Eusebii de Morte Hieronymi opusculo Caput 13. 14. et principium 15. complexum, ut extant in Opp. Hier. edit. Vulgarf. T. XI. col. 293.

X. fol. 157. Tractatus de Septem Vicijs mortalibus et aliquibus virtutibus eis oppositis. Initium: *Nunc dicendum est de vicijs — Et est primo Notandum quod ut docet Magister in 2º sententiarum &c.* Est Nicolai de Dünkelspühl, ut dixi ad Cod. CCCCL.

XI. fol. 262. Sermo de Die Corporis Christi in illud: *Accipite et comedite &c.* M. XXVI. Initium: *Hodie karissimi nobis dies sanctus et veneracione dignus illu-*

2659

C O D I C E S

2660

xit &c. Tacetur Autor, quem praecedentem habeo.

XII. fol. 265. p. 2. Sermo, cui recens manus superscriptit de *Passione Domini*. Initium est: *Scitis quia post biduum pasca fiet M^o XXVI. Hoc sero karissimi memoriam agimus maxime dilectionis &c.* Est vero Expositio totius Passionis Christi, unde inducor, ut credam esse praedicti *Nicolai de Dünkelspühl* designarique apud *Ant. Reiserum* in *Ind. Mss. Bibl. August.* p. 110. nomine *Concordantiae in Passionem Dominicam* primis Typographiae annis *s. l. et a.* in fol. impressae, quae mihi tamen ad manum non est.

XIII. fol. 286. p. 2. Ex questionibus *M. Nicolai* (praedicti) super 4^o. Sententiarum circa distinctionem XLIII. Initium: *Sciendum quod in fine temporum omnipotens dominus resuscitabit corpora nostra &c.* De Resurrectione itaque et futura tum Corporum sive beatorum sive damnatorum conditione in hac Epitome agitur.

XIV. fol. 291. p. 2. Incipit tractatus *Beati Iohannis Crisostomi* de hoc quod nemo leditur nisi a semet ipso. Initium: *Scio quod crassioribus quibusque et presentis vite illecebris inbybantibus atque hijs qui per omnia terre inherent &c.* Et finis: *Nequaquam poterunt ei nocere qui a semet ipso non leditur.* Invenio Versionem hanc, quam *Fabricius* in *Bibl. gr.* Incerti vocat, editam *Antverpiae* 1536. 8. et quod mirum retentam in *Opp. Chrysof.* edit. lat. *Lugd. et Paris.* 1687. T. V. p. 300. licet Fron-

to *Ducaeus* jam 1621. T. IV. p. 569. meliorem Anonymi e *S. J.* substituerit, quam etiam *Montefalconius* in edit. suae T. III. col. 444. repraesentavit. Liceat hic obiter Lectori *παιδογγραμ* indicare, quod, dum in autorem Versionis nostrae inquiri, Liber *Dan. Huetii de clar. Interpretib.* edit. *Paris.* 1661. 4. p. 173. obtulit. Dicitur ibi *Rodolphus Agricola* (mort. 1485.) ex optima *Theodori Bezae* (nat. 1519.) disciplina exortus.

XV. fol. 301. Sequitur questio determinans veritatem materie tractatus immediate precedentis *Beati Iohannis Crisostomi*. Initium: *Astrinxit dominacionis uestre pater venerabilis instans postulacio impericiam meam &c.* Rogaverat *Nicolaum*, ut videtur, de *Dünkelspühl* quidam, ut velit praedictum Libellum verbis adaptare usitatoribus modoque scolastico. Id quod hac Questionem praestatur, quae vices *Commentarii* in Libellum suffinere possit.

XVI. fol. 303. Incipit tractatus de formatione hominis. Non facile quis hic *Thomam de Kempis* expectet. Verum sequitur: *Et primo de Imitatione christi et contemptu omnium Vanitatum mundi.* Est solus Liber Primus, quem praecedens Caput XXV. Index exacte cum primoribus *Belgarum* editionibus concordat. Neque textus nisi in minutiis abludit; ita C. I. pro: *spiritum haberet* — inveniret, legit: *habent* — inveniunt. Pro: *in altum statum*, solum in *altum &c.* Cum vero nomen *Autoris*

2661

H O M I L E T I C I

2662

toris adscriptum non habeat, neutri inde Parti quidquam opis adcrefcit. Vide et *Cod. DLXXXIV.*

XVII. fol. 313. *Traſtatus de arte moriendi.* Initium: *Cum de presentis exilii miseria mortis tranſtus &c.* Deficit in fine, ſed integrum habes *Codd. variis*, quorum Index monet.

Codici praetexta eſt membrana, qua *Johannes Prior Domus Carbuſiae* cum Capitulo Generali *Leonbardum Inſtitorem de Medico Civem Viennensem* et uxo-

rem ejus *Margaretham* in communionem meritorum Ordinis recipit, inſinuante domino *Johanne Priore Domus Porte B. Marie Virginis*, quod nomen fuit *Carthufiae Axbacensis* in *Austria inf.* Datum ſub ſigillo domus *Carthu.* Anno domini *Milleſimo CCC. LXXX. IIII.* ſedente capitulo generali. Subtextae vero ſunt laciniae quaedam itidem membranearum continentes, ut videtur, metricum *J. Can. compendium.* Inter alia de *Matrimonio:*

*Si ſponſum thalamo ſuſceptum deſerit uxor,
Et fugit ad clauſtrum. fugitiua redibit ad ipſum,
Ni certo poterit examine virgo probari.
Sexus iuratus examinet hoc mulierum
Per digiti tactum uel intuitus oculorum &c.*

DCXCVIII.

495 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 292. 4. caractere luculento ſcriptus, et olim τὸ βιβλίον τῆς *Wenceslai Roſſii* Sacerdotis ſaepe memorati, qui fol. 87. ſe illum in *Prachaticz* emiſſe et habere ab anno 1517. teſtatur, continet *Sermones* ſacros ab *Adventu dom.* uſque ad *Quinquageſimam*, valde populares et multis phraſibus *Bobemicis* intertextos. Sermo I. *Dominica prima in aduentu domini* ſic incipit: *Tempus iſtud quod ex gratia dei expeſtauiſmus eſt deuotum eſt tempus ſacrum et aliud non obtinuit quam alia tempora quia dicitur przigitie (Aduentus) domini noſtri iheſu cbristi in hunc mundum &c.* Quorum partium fuerit Autor, ex hoc

fol. 26. p. 2. loco intelliges: *Sed iam heu ſol obſcuratus eſt. non lu- cet multis cbristianis ſanctum ewan- gelium. Quanti ſunt tales ſacerdotes, qui ewangelium ſacrum tburificanti, oſculantur, et poſtea here- ticiſant. Iam pro nunc lex cbristi hē- reticiſatur, blaſfematur. Cbristus dixit, niſi manducaueritis carnem. Anticbristus tunc dicit, quod peccat mortaliter qui ſanguinem dei bibit de calice ſine licencia pape. Cbristus dixit, hoc eſt corpus meum. Anticbristus tunc, quod non eſt, ſed aliquid aliud, nolo nominare propter corda munda. Hanebnie (impudenter) locuntur pikbarte de corpore cbristi fugite eos. Quin e ſequente loco fol. 27. ipſum Scri- ptionis tempus innotefcit: *Item Luna eſt eccleſia. Iam heu ad con- ſummacionem ſeculi Luna conuerſa eſt**